

nium illorum caput, atque adeo ejus oratio, et meritum cum infinita virtutis sit, procedit a Christo ut homine tamquam a causa principali morali.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXI. Prima arguitur multis auctoritatibus D. Thomæ: Nam in hoc articulo, conclusione prima ait, quod anima Christi per se, et secundum suam naturam habuit virtutem, et potestatem ad illuminandum creaturas rationales per plenitudinem gratiæ, et scientiæ; illuminare autem alium per gratiam nihil aliud est quam in eo producere gratiam, sicut solem illuminare aerem per lumen nihil aliud est, quam in eo producere lumen; ergo sentit D. Thomas, quod Christus causat gratiam nostram, sicut causa principalis ad modum, quo sol causat lucem in diaphano.

XXXII. Deinde supra quæstione VII, articulo IX ait, quod Christus habet plenitudinem gratiæ, quia erat universale principium in genere habentium gratiam, et virtus primi principii extendit se ad omnes effectus illius generis, atque adeo secundum D. Thomam humanitas Christi tamquam universalis causa operans per virtutem propriam se extendit ad causandam gratiam in omnes homines.

XXXIII. Item supra quæstione VIII, art. VI ad tertium D. Augustinus tractatu XLVI in Joannem dicit esse proprium Christi vocari ostium, quia in ostio importatur principalis auctoritas; ergo Christus causabat gratiam propria auctoritate, et consequenter ut causa principalis, et non solum ut instrumentalis. In quarto etiam contra gentiles, cap. LXXIV, ait quod: « Minister sacramentorum agit in quantum movetur a Deo, »

et postea ait: « Et quia Christus est operatus nostram salutem propria auctoritate et virtute, ideo minister Christi aliquid participat de ejus potestate: nam instrumenta aliquid participant de virtute principalis agentis, » et in quarto sententiarum, distinctione V, quæstione II, art. II, quæst. II in corpore ait: « Christum ideo debere habere gratiam, quia causat illam tamquam causa principalis, et non ut instrumentum, vel minister. »

XXXIV. Tandem infra quæst. LXIV, art. V ad primum ait: « Quod gratia sacramentalis datur nobis non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum; » habet ergo in causanda gratia nostra rationem causæ principalis de cujus munere est, quod assimilet sibi effectum; videantur aliæ auctoritates apud magistrum Cabrera ubi supra, numero XLI et XLII.

XXXV. Respondetur omnia loca debere interpretari uno ex duobus modis, vel utroque simul. Primo, quod D. Thomas affirmet Christi humanitatem esse causam principalem nostræ gratiæ, non tamen physicam, sed moralem, ut dicebamus ultima conclusione: secundo, quod Christus ut homo sit causa instrumentalis physica per excellentiam gratiæ nostræ, et donorum supernaturalium, et ratione talis excellentiæ vocari potest causa principalis quodammodo; præcipue cum ab illo sacramenta habeant virtutem, et efficaciam sanctificandi, et ministri auctoritatem conficiendi illa: vel ultimo, quod si in sensu rigoroso intelligantur aliqua loca in quibus videtur affirmari Christum esse causam principalem physicam gratiæ, debent intelligi de Christo ut Deus est.

XXXVI. Secundo, arguitur ratione: Nam hoc differt inter causare gra-

tiam ut instrumentum, et causare illam per auctoritatem, quod causare per auctoritatem est illam efficere tamquam causa principalis, ut constat ex D. Thoma supra quæstione VIII, artic. VI ad tertium, et infra quæstione LXII, artic. II; sed Christus causabat gratiam nostram per auctoritatem; ergo ut causa principalis. Minor probatur, quia super illud Joannis primum: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, dicit Theophylactus, quod illud verbum data significat ministerium; illud autem verbum facta significat auctoritatem; ergo auctoritative Christus causat gratiam, atque adeo non ut instrumentum tantum, sed ut causa principalis.

XXXVII. Confirmatur primo ex domino Cajetano super locum Joannis citatum, ubi ait, quod gratia facta fuit per Christum, sicut omnia facta sunt per Verbum; sed omnia facta sunt per Verbum tamquam per causam principalem; ergo gratia facta est per Christum tamquam per principalem causam. Et videtur quod Christus hanc potestatem explicare voluit, quando Matthæi IX dixit: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, etc.* »

XXXVIII. Confirmatur secundo, quia Christus taliter causat gratiam in nobis, quod generat nos tamquam filios, estque vere pater noster, ut dicitur Isaïæ IX, et ad Hebræos II: ergo est causa principalis nostræ gratiæ. Patet consequentia, quia pater propria virtute, et ut causa principalis generat filios, et assimilat eos sibi; per gratiam autem efficitur conformes imagini Filii Dei, ut D. Paulus affirmat ad Romanos octavo.

XXXIX. Respondetur distinguendo minorem; Christus causabat gratiam per auctoritatem secundum

quod Deus erat, concedo minorem; secundum quod homo, nego. Tunc enim solum instrumentaliter habet illam causare, si loquamur in genere physico.

XL. Secundo, respondetur ex D. Thoma infra quæst. LXIV, artic. IV ad secundum, et ex glossa super illud primum ad Corinthios I: *Numquid divisus est Christus?* Quod instrumentalis potestas excellentiæ, quam habuit Christus Dominus, potest vocari auctoritas respectu instrumentorum separatorum, videlicet sacramentorum, et ministrorum, et ideo quando dicitur, quod Christus ut homo auctoritative causat gratiam, intelligi debet de hac potestate excellentiæ ministeriali, quæ taliter competit Christo ut homini, ut nulli alteri communicata sit.

XLI. Ad primam confirmationem respondetur, quod Cajetanus tantum voluit docere, quod D. Joannes ideo ostendit Christum hominem esse Verbum, quia per illum hominem facta sunt omnia, quæ facta sunt per Verbum, sed tamen loquitur D. Joannes de illo homine ratione personæ, non ratione naturæ humanæ assumptæ.

XLII. Vel secundo dici potest Cajetanum tantum voluisse significare, quod sicut omnia naturalia facta sunt per Verbum principaliter, ita omnis gratia facta est per illum hominem, ratione quidem divinitatis principaliter, ratione tamen humanitatis instrumentaliter.

XLIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod per gratiam justificantem regeneramur in filios Dei, non tamen in filios humanitatis Christi, eo quod gratia est ipsa natura divina participata. Secundo, etiam dici potest, quod in isto ordine generationis spiritualis etiam instrumenta, quæ ad talem generationem concurrunt, si animata sint, vocari possunt pater;



qua ratione D. Paulus ad Galatas iv aiebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, etc.* Ac tandem dici potest, quod Christus ut homo appellari potest pater, non quia tanquam causa principalis physica causat gratiam, sed quia ut causa principalis per scientiam illuminat alios in cognitione rerum supernaturalium, qua eos sibi assimilat juxta primam conclusionem D. Thomæ in hoc articulo, et hac ratione prædicatores evangelii vocantur patres, juxta illud Pauli primum ad Corinthios: *In Christo enim Jesu per evangelium ego vos genui.*

XLIV. Tertio arguitur: Quia anima Christi habet gratiam capitis, quæ quidem in ratione talis habet influere in membra (ut supra diximus quæstione viii) ergo habet in se principium constituens ipsam in ratione causæ principalis causativæ nostræ gratiæ. Probat consequentia, quia ad rationem causæ principalis sufficit et requiritur, quod habeat in se formam sibi propriam per quam operetur; ergo cum Christus operetur per suam gratiam capitis nostram justificationem, erit vere, et proprie causa principalis nostræ gratiæ.

XLV. Respondetur negando consequentiam, loquendo de causa principali physica, et ad probationem dicitur, quod gratia Christi, si consideretur secundum se, et ex sua natura, non habet esse productivam gratiæ in aliis; alias etiam gratia nostra, cum ejusdem speciei physice sit, haberet hoc ipsum, quod falsum esse supra diximus. Habet ergo causare gratiam nostram ipsa gratia Christi ratione subjecti in quo est tanquam instrumentum ipsius Dei per elevationem, et motionem divinam, atque adeo ratione illius Christus ut homo dici non debet causa principalis physica illius, sed tantum moralis.

XLVI. Quare arguitur ab inconvenienti: Nam ex opposita sententia sequeretur, quod gratia Christi capitis esset minoris virtutis, et perfectionis, quam nostra. Consequens dici non potest; ergo nec antecedens. Sequela probatur, quia si gratia capitis in Christo non est causa principalis nostræ gratiæ, sed tantum instrumentalis; ergo effectus productus nostræ gratiæ excedit perfectionem gratiæ Christi, cum causa instrumentalis imperfectior sit effectu per illam producto, quia virtus instrumentalis non attingit de se effectum principalis causæ, sed tantum dispositive operatur circa illum, et si attingit effectum, tantum est secundum quod elevatur a causa principali.

XLVII. Confirmatur, quia etiam sequeretur nullatenus esse necessariam in Christo gratiam habitualem, ut illam in nobis causaret. Consequens est falsum, et contra dicta sæpius quæst. vii; ergo. Probat sequela, quia non est necessarium, quod instrumentum habeat in se formam producendam, ut patet in ministro confessionis, et baptismi, qui causat gratiam in alios, quamvis ipse illam non habeat, quia solum concurrat ad illum effectum instrumentaliter; ergo si Christus solum est instrumentum gratiæ nostræ, non est necessarium habere in se sibi inhærentem gratiam habitualem.

XLVIII. Respondetur negando sequelam: et ad probationem dicimus, quod gratia Christi, si consideretur secundum suam naturam, et essentiam, multo perfectior est gratia nostra non solum in esse morali, sed etiam in esse physico. Si autem consideretur secundum virtutem instrumentalem, qua elevatur a Deo, sic imperfectior est, quam gratia nostra. Est exemplum in cælo, quod quidem si secundum se consi-

deretur, et ex natura sua perfectius est quam formica, cum illud sit incorruptibilis naturæ; si tamen consideretur secundum virtutem instrumentalem præcise, quam habet ad producendum viventia, sic illa virtus imperfectior est quam formica. Similiter in nostro casu.

XLIX. Ad confirmationem respondetur negando sequelam, nam licet de ratione instrumenti ut sic non sit habere formam, qua producit instrumentaliter, tamen de ratione instrumenti excellentissimi, quale est humanitas Christi, et quod simul est causa principalis moralis ejusdem effectus, est quod habeat illam formam gratiæ in se rationibus supra positis, ratione septima, articulo primo.

L. Quinto arguitur: Quia illa est causa principalis, quæ per se, et sine instrumento operatur suum effectum; sed Christus Dominus potest causare gratiam per se, et sine sacramentis; ut de facto illam causare constat ex evangelica historia; ergo tanquam causa principalis.

LI. Confirmatur, quia sacramenta quæ sunt instrumenta gratiæ causant illam virtute Christi Domini, ut docet D. Thomas infra quæst. lxxiv, art. iii; ergo Christus illam causat tanquam principalis in cujus virtute instrumentum operatur.

LII. Respondetur primo, quod causare sine instrumentis non est proprium causæ principalis, nam etiam causa instrumentalis operatur sine instrumentis, atque adeo quod Christus sine instrumentis causet gratiam non sufficit, ut dicatur causa principalis physica illius, sed ut dicatur causa instrumentalis, in qua residet potestas excellentiæ, ratione cujus Christus ut homo justificabat. Secundo respondetur, quod causa principalis physica est illa, quæ operatur per propriam formam sibi intrinsecam, et connaturalem;

humanitas autem non propria virtute, aut forma, sed per motionem divinam habet illa causare, atque adeo non ut causa principalis, nisi in genere moris.

LIII. Ad confirmationem respondetur, quod quando instrumentum est excellentissimum in illo genere, et conjunctum causæ principali potest communicare virtutem aliis instrumentis, si separata sint; atque adeo in genere physico humanitas Christi, cum instrumentum sit conjunctum divinitati, et excellentissimum inter omnia, tribuere potest virtutem ipsis sacramentis, et ministris, quæ sunt instrumenta separata. In genere vero moris virtus, quæ est in humanitate, meriti scilicet et satisfactionis, residet in illa principaliter, ut supra diximus.

LIV. Sexto arguitur: Quia causare gratiam tanquam causa principalis est perfectio possibilis Christo Domino; ergo illi non est deneganda, cum ejus dignitas talis sit, quod omnem perfectionem non repugnantem postulet. Antecedens probatur, quia esse causam principalem gratiæ non repugnat Christo, nec ex parte effectus producti, neque ex modo producendi illum; ergo est illi possibile. Quod non repugnet ex parte effectus probatur, quia gratia nostra non est infinita simpliciter in sua essentia; ergo non postulat ad sui productionem virtutem infinitam simpliciter in ratione causæ activæ, sed ut plurimum uberiorem gratiam, quæ sine dubio est in Christo. Quod vero non repugnet, nec etiam ex parte modi producendi probatur, quia operari ut causam principalem secundariam, et subordinatam primæ causæ non arguit infinitam perfectionem, sicut in cæteris causis secundis patet, præcipue cum illa gratia producat in subjecto jam existente, in quo valde differt a creatione,



quæ ex modo producendi arguit infinitam virtutem in causa, eo quod nullum præsupponitur subjectum; ergo ex nullo capite repugnat Christum esse causam principalem nostræ gratiæ.

LV. Confirmatur, quia quamvis sit proprium Dei futura contingencia cognoscere, et cogitationes cordium, id tamen ratione excellentiæ animæ Christi communicatur illi ut causæ principali talium rerum cognitio; ergo quamvis sit proprium Dei causare gratiam tamquam causa principalis, communicari poterit Christo Domino tamquam causæ Deo inferiori, principali tamen.

LVI. Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quod esse humanitatem Christi causam physicam principalem gratiæ repugnat ex utraque parte; primo quidem, ex parte effectus producti, videlicet gratiæ, quia quamvis gratia nostra finita sit, est tamen ordinis infiniti, ut elevat hominem ad illum ordinem, et ad hoc requiritur virtus infinita ex parte causæ agentis, qualis etiam requiritur ad constituendos ordines rerum ut patet ex D. Thoma quæstione xxvii de veritate, articulo iii. Repugnat etiam ex parte modi producendi ipsam gratiam, quia ut dictum est, causa principalis physica ipsius gratiæ debet habere divinam naturam per essentiam, et consequenter debet habere infinitatem simpliciter, et non subjici alteri; quod autem producat in subjecto existente, non tollit quin in causa principali physica ipsius gratiæ requiratur virtus infinita, non ratione creationis (supponimus enim pro tunc gratiam non creari proprie) sed ex eo quod est participatio ipsius divini esse in se ipso, quam solus Deus per essentiam causare potest tamquam principale agens physicum.

LVII. Ad confirmationem respon-

detur negando consequentiam. Et ad probationem dicimus esse magnum discrimen inter utrumque, nam ad causandam principaliter gratiam in genere physico requiritur virtus simpliciter infinita ut vidimus: ad cognoscendum autem cogitationes cordium, et alias res supernaturales non requiritur virtus infinita simpliciter, sed per lumen finitum, et limitatum hoc fieri potest, et communicatum fuit animæ Christi, ut late diximus agentes de scientia infusa ejus.

LVIII. Ultimo arguitur: Christus est causa principalis moralis nostræ gratiæ ratione unionis hypostaticæ; ergo ratione ejusdem erit causa physica principalis ipsius gratiæ. Antecedens probatur, quia Christus est causa meritoria de condigno gratiæ nostræ; ergo est causa principalis moralis ejus. Consequentia vero probatur, quia ad causalitatem illam moralem non requiritur minor perfectio, quam ad causalitatem physicam.

LIX. Confirmatur, quia gratia Christi non habet rationem instrumenti respectu gratiæ nostræ; ergo habet rationem causæ principalis. Consequentia est bona, et antecedens probatur, quia non potest dari aliqua operatio prævia in gratia Christi circa nostram, quæ dispositiva se habeat in ordinem ad actionem divinam, quod est de necessitate instrumenti; ergo non poterit esse causa instrumentalis.

LX. Respondetur negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod ad hoc ut humanitas Christi sit causa principalis moralis per meritum, et satisfactionem gratiæ nostræ, et donorum supernaturalium, sufficit habere meritum capitatis, quod est infinitum moraliter, et hoc reperitur in actibus Christi, ex eo quod humanitas ejus unita erat personaliter Verbo divino, ut late di-

## ARTICULUS V.

*Utrum anima Christi secundum propriam virtutem habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis?*

I. Pro intelligentia tituli notandum est, quod non est in potestate animæ facere, quod potentiæ inferiores ordinatæ ad bonum naturale suos actus non exerceant, verbi gratia, quod virtus nutritiva non augeat aut sustentet subjectum, et quando D. Thomas hoc denegat animæ Christi, loquitur de illa secundum propriam virtutem, quatenus anima humana est secundum rationem animæ humanæ; non autem de virtute animæ Christi, quæ illi convenit ratione alicujus status; bene enim potest esse, quod ratione status beatifici aliquid possit anima, quod secundum suam naturam non posset, et in hoc sensu clare patet, quam vera sit conclusio D. Thomæ, quæ est hujusmodi.

II. Conclusio: Anima Christi per solam suam virtutem naturalem non habuit potentiam ad immutandum proprium corpus extra cursum communem naturæ. Hæc est expressa D. Thomæ in articulo tertio hujus quæstionis xiii, et ab illo præcipue intenta, et quæ directe respondet quæsitio, satisque probata est ratione brevissima D. Thomæ in corpore articuli.

III. Pars affirmativa probatur primo, quia ut supra diximus cum D. Thoma quæst. xi, art. ii, anima Christi poterat intelligere sine conversione ad phantasmata, et reddit rationem, quia totaliter dominabatur ejus anima corpori; ergo eadem ratione dici potest, quod corpus ipsam subdebatur animæ ut immutaret illud, alias non totaliter dominaretur ei.

ximus quæstione prima, articulo secundo. Ad hoc autem quod humanitas Christi esset causa physica principalis gratiæ nostræ, requirebatur ut esset Deus per essentiam habens virtutem simpliciter infinitam in genere physico, quod implicat. Quare advertenda est differentia inter utramque causam, quod causa moralis ut sic non est, quæ physice producit effectum, sed quæ precibus, vel imperio, vel alia via movet causam physicam ad operandum. Causa autem principalis physica est, quæ in se habet virtutem propriam ad producendum talem effectum: at humanitas Christi Domini postulat a Deo fieri nostram justificationem, quare in genere moris est causa principalis, in genere vero physico non est causa principalis, sed tantum instrumentalis, quæ solum operatur ut mota a Deo.

LXI. Ad confirmationem respondetur suppositis his, quæ jam diximus articulo præcedenti de operatione prævio instrumenti, quod gratia Christi est instrumentum gratiæ nostræ physicum, eo quod determinat effectum virtutis Dei, ut potius ab illa virtute producat gratia, quam quilibet alius effectus, et præintelligitur in genere causæ materialis concursus ipsius Dei. De quo videatur D. Thomas infra quæst. lvi, articulo primo ad secundum, et quæst. lvi, art. i ad tertium. Causat etiam humanitas Christi in nobis omnes dispositiones prævias necessarias ad infusionem gratiæ, ut dicemus quæstione xix.

LXII. Cognita jam potentia animæ Christi circa immutationes aliarum rerum, restat ut de potentia ejusdem agatur in ordinem ad proprium corpus. Unde subditur